


20999.

1847



**MELETERIA TA**

DE

**HYDRARGYRI EFFECTU.**

SCRIPSIT

*Joannes Julius Seck.*



MELETERIA  
DE  
HYDRARGYRI EFFECTU.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA DORPATENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUCTOR

*Joannes Julius Seeck,*

*Rigensis.*

---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLIX.

**I m p r i m a t u r**  
haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv., die 5. m. Decbr. a. 1859.

(L. S.)  
(Nr. 312.)

**Dr. R. Buchheim,**  
ord. med. h. t. Decanus.

822485

AMICO ET FAUTORI HONORATISSIMO

DR. MED.

C. J. MUELLER,

MEDICO PRIMO NOSOCOMII MARITIMI RIGENSIS

D. D. D.

*Auctor.*

## PRÆFATIO.

Quaestio de modo atque ratione, qua diversa hydrargyri praeparata in organismo vim et effectum exhibeant, quin gravissimi maximique momenti sit, nemo est, qui in dubitationem vocet. Quo factum est, ut haec quaestio omnibus temporibus digna sit habita, in quam explanandam pharmacologiae auctores multum operae conferrent. At nihilominus haec quaestio, quae pro diverso, quo et chemia et pharmacologia diversis temporibus positae erant, statu modis diversissimis explicata est, ad hunc usque diem ad liquidum explorata non est. Quamquam litterae ad hanc materiam pertinentes satis uberes ac copiosae sunt, tamen, quae earum aetatis sunt vetustioris, nisi respectu historico, non tanti momenti sunt. Longe aliter autem eorum virorum doctorum disquisitiones sese habent, qui in tractanda hac quaestione viam chemia atque physiologia praescriptam sequerentur, quamvis negari nequeat, apud hos quoque saepe pervestigationum eventus minime inter se congruentes reperiri.

Una ex recentissimis hac de re commentationibus a Dr. Carolo Voit in medium est prolata. Qui scrutator et summa cum diligentia curaque ex litteris de

hac materia conscriptis gravissima quaeque collegit et suas ipsius observationes atque experimenta chemica adjunxit, quibus innixus, denique de ratione, qua hydrargyri conjunctiones in organismo agant, conclusiones quasdam proposuit. Haec ipsa viri eruditi commentatio, quae re vera multa praeclara attulit, cujusque pars chemica, exceptis nonnullis observationibus, de quibus infra mentionem faciam, pro exactae disquisitionis pharmacologicae exemplo statui potest, me adduxit, ut hanc materiam denuo perquirendam sumerem. Equidem ab ipso initio, me nihil novi prolaturum esse, ingenue confiteor, quippe qui eum modo finem propositum habuerim, ut, quos investigationum eventus Voit nactus esset, dijudicarem atque examinarem, hoc modo me aliquid utilitatis praebiturum esse ratus. Porro admonendum est, non omnia, quae Voit instituit, experimenta chemica me in examen vocavisse, quoniam, hoc si egissem, longiore mihi opus fuisset temporis spatio, quam quod ad exarandam dissertationem inauguralem mihi concessum erat. Respexi potius ea experimentorum a Voit susceptorum, quae repeti mihi quaestionem de modo ac ratione, qua hydrargyri praeparata in organismo vim exhiberent, denuo pertractaturo omnino necessarium esse videretur.

Deinde in scribenda hac dissertatione multum utilitatis ex libro a Dr. ab Baerensprung edito, ita inscripto: „Mittheilungen aus der Abtheilung der Klinik für syphilitische Kranke“ percepi, cujus quidem observationes permultas eximio modo institutas tanto minus

silentio praetereundas esse censui, quod ad transigendam quaestionem, de qua disserimus, clinici celeberrimi observationes maximi haberentur oporteret.

Denique facere non possum, quin praeceptori amicoque honoratissimo, professori Dr. Buchheim, et summae benignitatis, qua per omne studiorum meorum tempus erga me usus est, et liberalitatis, qua mihi concessit, ut experimenta chemica in suo laboratorio susciperem, debitas gratias sincero animo persolvam.

---

## CAPUT I.

### *Hydrargyrum metallicum.*

**Q**uaestio de modo, quo hydrargyrum metallicum in organismo vim haberet, diversissimis rationibus explicata est. In alvi obstructionibus pertinacioribus id, copia majore in usum vocata, effectum mere mechanicum exhibere, utpote quod tali in casu fini proposito satisfaciat pondere suo obstacula in tractu intestinali obvia demovendo, inter omnes observatores satis superque convenit, etiamsi negari non possit, quin hydrargyrum regulinum, si causis fortuitis factum sit, ut diutius in tractu intestinali retineretur, simul etiam effectum ad totam corporis constitutionem, qualis post crebriores hujusce praeparati doses parvas in observa-

tionem venit, exercere queat. Symptomata universalis hydrargyri efficaciae et facile et brevi tempore tum apparent, quum hydrargyrum metallicum subtiliter contritum diversis corporis organis applicamus.

In mercurialismi symptomatibus multi observatores hydrargyrum in saliva, producta salivatione, repererunt, qua ex re elucet, necesse esse, hydrargyrum subtiliter contritum ab organis, quibus applicatum fuerit, in corporis succos translatum esse, ut effectus universalis signa provocare posset. Qua in re duae nobis quaestiones offeruntur, num hydrargyrum metallicum, nulla mutatione inita, in sanguinem perveniat, atque num efficacia therapeutica ex hydrargyri metallici in sanguine praesentia repeti possit.

Quod ad harum quaestionum priorem spectat, diversas scrutatorum hac de re sententias in duos ordines inter se contrarios divideré licet. Ad quorum ordinum priorem, quo hydrargyrum metallicum nulla mutatione inita in sanguinem transire creditur, observatores Landerer, Oesterlen, Eberhard, et Hasselt referendi sunt. Ex quibus Eberhard et Oesterlen plerumque eum in modum experimenta factitarunt, ut, unguento cinereo animalibus infricato, quum haec post nonnullum temporis spatium morte affecissent, telas, praesertim partium earum, quae infra locum unguento cinereo tractatum sitae essent, ope microscopii perquirerent, hydrargyri globulos indagaturi. Qua agendi ratione inita, haud dubios hydrargyri globulos sibi invenisse videntur.

Ex ordine altero imprimis Krause, Béclard, ab Baerensprung, Donders, Hoffmann afferendi sunt, qui scrutatores partim periculis eadem ratione factis, partim agendi ratione inita a methodo, quam Eberhard et Oesterlen secuti fuerant, omnino discrepante, contrarium eventum adepti sententiam protulerunt, hydrargyrum metallicum etiam in extinctione, quae vocatur, idoneum non esse, quod resorberetur.

Etenim ab Baerensprung per membranae mucosae ventriculi frustum ab homine repetitum pressu exhibito hydrargyrum percellere conatus est, quae res tamen, quamquam pressione denique ad 38" hydrargyri adaucta, ei non successit. Hac in re denique ea ventriculi pars, cujus membrana mucosa hydrargyri superficiei adversa erat, perrupta est. Neque meliore successu experimenta fuerunt a Krause et Béclard instituta, quibus epidermidis frustum, diametro 3 $\frac{1}{2}$ "', crassitudine  $\frac{1}{13}$ "' adaequans, ope columnae hydrargyri 13" tractaverunt. Hac enim pressione adhibita, ad postremum epidermis dirupta fuit, nullo ne minimo quidem hydrargyri transgressi vestigio deprehenso. Qui experimenti exitus quamvis vix ullum dubitationi locum relinquat, tamen omittendum non est, experimentorum extra corpus factorum eventus nobis potestatem non praebere, simpliciter de processu, qui in ipso corpore vivo eveniat, conclusionem efficiendi.

Ex iis, quae commemoravimus, sane colligi posse videatur, hydrargyrum forma metallica non resorberi. Namque observatorum, quos ultimos attuli, pericula

huic opinioni haud dubie repugnant, atque observationi a **Landerer** prolatae, qui, quum hydrargyrum in bubonis, antequam dirumperetur, hydrargyro tractati pure reperisset, hydrargyrum regulinum resorberi conjecit, vix multum dignitatis attribuendum esse videatur.

Alia autem experimentorum ab **Oesterlen** et ab **Eberhard** institutorum est ratio, qui quidem observatores hydrargyrum antea cuti infictum se postea ope microscopii in venarum cutis respondentium sanguine invenisse testantur. Attamen, si reputaverimus, haec experimenta sola per se exstare porroque pericula aliorum scrutatorum, uti ab **Baerensprung**, **Donders**, **Hoffmann**, eodem modo instituta illis parum congruere, quum hi observatores, quamquam disquisitione ope microscopii diligentissime facta, tamen nihil hydrargyri deprehendere potuerint, quod ratione ab illis inita, de qua non copiosius exponam, inveniri necesse erat, quantum nostra fert opinio, sententia illa, qua hydrargyrum regulinum, forma non mutata, resorberi atque ita vim exhibere creditur, vix satis firmis idoneisque argumentis innititur.

Quum ita ad quaestionem, quam priorem posueramus, rite respondisse videamur, altera jam locum non habet, quoniam universalis hydrargyri regulini effectus non eo explicari potest, quod medicamen illud, forma non commutata, in sanguinem perveniat. Jam ad quaestionem aliam, quae in promptu est, accedere possumus, quo videlicet modo quibusque rationibus hydrargyrum regulinum ita permutetur necesse sit, ut, quod

resorbeatur, idoneum reddatur, i. e. in formam vel conjunctionem solubilem redigi queat.

Ad quam quaestionem solvendam litteras huc pertinentes dum perlustramus, sententias admodum diversas positas esse cognoscimus. Hoc loco, quae nostrum in finem maximi momenti videntur, ex auctorum scriptis afferre liceat, ut singulas, quae prolatae sunt, sententias hoc modo melius inter se comparare atque contendere possimus. Quod attinet ad sententiam hac de re a Voit prolatam, de ea quidem altero dissertationis hujus capite pluribus disseremus, quia Voit, quam explicationem de calomelanos solutione posuit, eandem, paucis mutatis, ad hydrargyrum regulinum referri vult.

Propugnatores diversarum de mutationibus istis sententiarum, quas hydrargyrum regulinum, ut resorberi possit, subeat necesse sit, rursus in duos ordines redigere licet, quorum alteri ab Baerensprung, alteri Mialhe praeesse judicandi sunt. — Mialhe, natrii chlorati et ammonii muriatici copia pari sex decigrammatum in decem aquae destillatae grmm. soluta, fluidum existere contendit, quod ad hydrargyrum metallicum saltem ex parte in sublimatum commutandum valeat, hydrargyro autem antea cum gummi arabici mucilagine contrito, majorem etiam sublimati copiam efformari ait. Etenim ad fluidi, quod diximus, grmm. 10 hydrargyri decigrmm. 6 additis, quum hanc mixtionem in horas viginti quattuor calore 50° C. quieti dedisset, reactionem manifestam, quae hydrargyrum solutum adesse coargueret, invenit. Ab Oettingen, vir clarissimus,

in dissertatione sua inaugurali alcalium chloratorum ad hydrargyrum metallicum vim et effectum, quem Mialhe descripsit, examinavit, qua in re sane aliae fuerunt rerum conditiones, quoniam fluidum, quo experimenta facta sunt, magis, quam id in periculis a Mialhe institutis factum erat, fluidis in organismo obviis simile est redditum. Quem in finem non commixtae natrii chlorati et ammonii muriatici solutiones in usum vocatae sunt, sed utriusque horum salium efficacia separatim examinata est, quia in fluidis, in organismo obviis, solum vestigia quaedam ammonii muriatici reperiuntur. Porro ab Oettingen experimenta sua temperie inter 37° et 38° C. variante, ergo iis caloris gradibus, qui corporis viventis calori satis prope accedunt, instituit. Disquisitionum ejus eventus ab illis, quos Mialhe nactus erat, longe differebant. Experimenta, praeunte ab Oettingen, a nobis suscepta talia fuerunt.

1) Hydrargyri decigramma, natrii chlorati grmm. 0,088 et aquae destillatae grmm. 10 per horas viginti ad calorem graduum 37 — 38 C. exposita sunt, quo facto, fluidum percolatum ope aquae hydrosulfuratae ad examen vocatum est. Qua in re nulla omnino hydrargyri reactio in conspectum venit.

2) Ad mixtionem, priori prorsus similem, nonnullae acidi muriatici guttulae affusae sunt, indeque eadem, quae in experimento superiore, agendi ratio inita. Hoc quoque in casu nulla hydrargyri reactio apparuit.

3) Denique rationem, quam ab Oettingen inierat, secuti mixtionem ex hydrargyri decigrammate et

succi gastrici grmm. 10 paratam et per idem temporis spatium et calore eodem, quo observator ille, quieti mandavimus. At tum quoque, illa, quam supra attulimus, agendi ratione usi, nullam, ne minimam quidem, hydrargyri reactionem deprehendimus. Neque magis ab Oettingen hoc in casu ullam observavit reactionem, quae hydrargyrum solutum esse probaret.

Itaque, quum neque omnis succus gastricus neque singulae ejus partes praecipuae ullam ad hydrargyrum vim ostenderint, et ipsi explicationem, a Mialhe propositam, pro vera habere nequimus. Hoc nobis opprobrio dari non posse credimus, quod in experimentis nostris eas rerum condiciones imitati simus, quae in hominis vivi corpore obtineant, id quod, uti jam admonimus, etiam ab Oettingen faciendum censuerat, neque, sicuti Mialhe, earum substantiarum effectui hydrargyrum exposuerimus, quae in organismo omnino non exstent.

Ab Baerensprung hydrargyrum metallicum aliis quibusdam momentis commutari arbitratur, qui in relationibus suis solum de unguento cinereo mentionem facit, quoniam hodie, si id agatur, ut effectus universalis, quem vocant, provocetur, hydrargyrum raro forma alia adhiberi solet. Baerensprung enim, uti jam ante eum Donovan, Christison aliique, hydrargyrum, jam dum conteratur, saltem ex parte, oxydari affirmat, idque oxydum cum unguenti cinerei acidis adiposis in saponem hydrargyri conjungi eamque solam efficacem unguenti cinerei partem esse statuit. Porro hujus hydrar-

gyri elainici oxydulati in unguento cinereo copia, quo vetustius sit unguentum, eo magis augescere dicitur. Quam ob rem Baerensprung snadet, ut tempore postero hic sapo hydrargyri, via chemica paratus, in usum convertatur, quod sic hydrargyri copia, quae effectum exhibeat, melius aestimari possit. Quae vir doctus experimenta instituit, iis saponis hujusce efficacia quam maxime confirmatur.

Nos in unguentum sedecim annorum inquisivimus, in quo quamvis manifestam hydrargyri soluti reactionem invenerimus, haec tamen semper non fuit nisi perexigua, ita ut illa hydrargyri oxydati in unguento cinereo copia nullo modo sola unguenti pars efficax esse posset, quia, teste Baerensprung, istius copia in unguento recens parato minor est, ac demum cum unguenti aetate augetur.

Videmus igitur, nullam sententiarum de modo, quo hydrargyrum metallicum se efficax praebeat, prolatarum communi omnium consensu approbatam esse, sed multa jure ac merito iis objici posse. Nec facere possumus, quin aperte confiteamur, hanc quaestionem hucusque neququam ad liquidum perductam esse, sed aetati pesterae relinqui, ut plus ei lucis afferatur.

## CAPUT II.

### *De hydrargyri salibus oxydulatis et oxydatis.*

Quae de horum salium effectu in medium prolatae sint sententiae, paucis exponere liceat, quo melius,

quaestio illa quo hodie statu sit posita, dijudicari queat. Salium oxydulorum principem calomelas ponimus, quippe quod, si cum aliis salibus oxydulatis comparatur, usitatissimum esse constet.

Jam ex aliquot annorum spatio quaesita est substantia, qua calomelas solvatur, quum illud aquae insolubile se praebeat.

Mialhe, plurimis experimentis, quo modo alcalia chlorata ad calomelas agerent, demonstrare conatus, illis hanc materiam in sublimatum commutari invenit. Quae res a multis aliis scrutatoribus impugnata est, qui alcalibus chloratis ullam ad calomelas vim tribuendam esse negarunt. Haec virorum doctorum dissensio hinc repetenda videtur. Mialhe enim, experimentis ammonio muriatico, natrio chlorato et calomelane factis, in hac mixtione postea sublimatum reperit. In quo alcalium chloratorum ad calomelas effectum ille modum cognovisse sibi visus est, quo calomelas in organismo solveretur.

Quae Mialhe compererat, alios quoque observatores, ut in hanc alcalium chloratorum rationem inquirerent, adduxerunt. At hi tamen investigationum eventum adepti sunt iis, quae Mialhe repererat, contrarium. Etenim ex omnibus, quae adhuc facta sunt, experimentis temperiei gradum hac in re maximi momenti esse, neque omnia alcalia chlorata unum eundemque effectum sibi vindicare, sed ex eorum numero ammonium muriaticum maximam ad calomelas vim exhibere luculenter apparuit. Nos, quum a proposito nostro alienum esse

censeamus, omnia, quae hunc in finem suscepta sunt, experimenta afferri, eum, qui illa paucis comprehensa cognoscere voluerit, ad dissertationem ab celeb. Oettingen scriptam delegamus, solosque pervestigationum ab hoc scrutatore institutarum eventus commemorabimus, quoniam hi illis, quos nosmet ipsi, similibus periculis factis, nacti sumus, omnino congruunt.

Calomelas enim in ammonii muriatici solutione, calore  $100^{\circ}$  C. adhibito, ex parte in sublimatum transmutatur, quod idem, temperie eadem, in natrii chlorati solutione evenit. Solutionibus per filtrum transmissis, hydrargyri globuli remanent filtratumque magnam hydrargyri reactionem ostendit.

Temperie corporis humani calori respondente, nempe  $37-38^{\circ}$  C., tum ammonii muriatici tum natrii chlorati efficacia, intra horas 24 observata, admodum exigua est, tantum vestigiis quibusdam hydrargyri soluti conspicuis. Ceterum ammonii muriatici major, quam natrii chlorati, efficacitas videtur.

Porro, si respexerimus, in succo gastrico tantum nonnulla ammonii muriatici vestigia reperiri, quum, auctoribus Bidder et Schmidt, in millenis succi gastrici partibus non amplius 0,840 partes ammonii muriatici insint, concedamus oportet, iis, quas diximus. rerum conditionibus alcalium chloratorum ad solvendum calomelas effectum, certe in organismo, nullius momenti esse.

Pluris nostra interest, quaenam calomelani cum albumine ratio intercedat. Namque, si calomelas albumenque liquidum in contactum adduxeris, aliquot horis

elapsis, etiam temperie solita, magna hydrargyri reactio in conspectum datur, qua de re calomel solutum in albumine inesse necesse est. Jam ab Oettingen in hac calomelanos cum albumine ratione adminiculum invenisse visus est, quo in explicando modo, quo calomel intra organismum se efficax praestaret, niteretur. Idem admonuit, semper albumen in tractu intestinali, et partim quidem in alimentis invectis, partim, idque copia larga, in succo pancreatico, contineri.

Nos quoque, quaenam calomelani cum albumine ratio esset, perscrutati, illis, quos commemoravimus, rerum conditionibus magnam hydrargyri reactionem observavimus. Qua in re imprimis causa reposita esse videatur, qua fiat, ut calomelas intra organismum in conjunctionem solubilem transeat, quam quidem conjecturam Baerensprung quoque confirmat. Qua forma autem calomel solutum in albumine insit, infra locus erit, quo disseramus.

Quum ad conscribendam hanc commentationem, quemadmodum in praefatione diximus, scripto a Voit edito adducti fuerimus, quumque ea, quae praeterea de modo, quo calomel in organismo se habeat, dicta sunt, jam breviter attulerimus, nunc sententias a Voit promulgatas dijudicare atque illustrare liceat.

Voit pag. 75 his verbis utitur: „Ich glaube, dass durch die in diesem Abschnitte gemachten Erfahrungen die im ersten vorgelegten so verschiedenartigen Meinungen ihre Erklärung finden; ich sage, dass bei verdünnter Kochsalzlösung und gewöhnlicher Temperatur

nach 24—36 Stunden nur durch anhaltendes Zusammen-  
schütteln mit den unlöslichen Quecksilberverbindungen  
Quecksilber in Lösung gehe; diese Menge des Queck-  
silbers ist aber nur eine sehr geringe, wie Oetting-  
gen, wie Larocque und Andere auch sagen, und sie  
ist so gering, dass sie im Organismus wol keine Wir-  
kung hervorzubringen im Stande ist. Ich sage aber  
weiter, dass trotz dieser geringen Menge auf diesem  
Weg gebildeten Sublimats doch derselbe Vorgang im  
Körper stattfindet, dass dieser Vorgang dortselbst aber  
ungemein beschleunigt wird durch die Wirkung der  
Blutkörperchen und die Wirkung des Eiweisses.“

His verbis Voit eventum observationum suarum,  
quas de commutationibus insolubilium hydrargyri con-  
junctionum in organismo evenientibus instituit, profert.  
Ergo, illo judice, in calomelanos cum natrio chlorato  
ratione praecipue quaerendum est momentum, quo calo-  
melanos in organismo effectus nitatur, dum albumen  
sanguinisque corpuscula sublimati efformationem e calo-  
melane, quod, uti supra diximus, tamquam principem  
conjunctionum insolubilium hydrargyri posuimus, acce-  
lerent. Supra natrii chlorati soluti ad calomelas ratio-  
nem attulimus, unde apparet, id quod Voit quoque loco  
modo citato dixit, natrii chlorati effectum nullo modo  
calomelanos efficaciam explicari posse. Itaque Voit  
etiam alia quaedam momenta, quibus calomel in con-  
junctionem solubilem redigeretur, statuere debuit, quae  
momenta illi in corpusculorum sanguinis albuminisque  
effectu reposita videntur. Quod ad albuminis in calo-

melane vim attinet, de ea supra copiosius disseruimus, atque colomelas, albumine vim exhibente, in formam solubilem redigi memoravimus, quae quidem res in chemia omni exempta est dubitatione.

Alia autem ratio est effectus, quem sanguinis corpuscula ad calomelas habeant. Haec vis enim primo a Voit statuta est, eaque imprimis res nos perpulit, ut commentationem a viro docto editam experimenta ejus saltem ex parte repetendo in examen vocaremus.

Voit enim, disquisitionibus a professore Schoenbein de ozonte institutis ductus, natrii chlorati in calomelane vim ex ozontis, quod natrio chlorato insit, efficacia repetendam censet. Verba ejus, quae pag. 68 profert, haec sunt. „Es ist darnach klar, auf welche Weise es möglich wird, dass eine so ungewöhnliche Oxydation wie die des Natriums in Kochsalz vor sich gehe, wenn man es mit Calomel oder regulinischem Quecksilber zusammenbringt, es ist eine Ozonwirkung.“

Voit de professoris Schoenbein invento pag. 69 mentionem facit, sanguinem vel siccata sanguinis corpuscula magna cum ozonte affinitate esse, quod ope sanguinis ex aethere, agendi ratione necessaria adhibita, ozon continente, indeque saltem parte ejus privato, ita ut solitis rerum conditionibus kalii jodati amyllum ozonte in aethere contento jam non colore caeruleo tinguatur, tamen ozon liberari possit. Sanguinis enim cum ozonte affinitatem tam intimam esse, ut illud aetheri subducatur, tunc autem extemplo ad kalium, quod kalii jodati amylo inest, transferatur, quo fiat, ut amyllum colorem

caeruleum induat, quum kalium, amylo kalii jodati contentum, oxydetur eoque jodum liberum ad amylo vim exhibere possit.

Qua in re facile objicias, quum ozontis ad kalium jodatum efficacitas tam vehemens sit, qua ejus kalium oxydetur, hoc fortasse de natrio chlorato pariter se habere, verumtamen admonendum esse crediderim, alcalium cum chloro conjunctiones multo difficilius, quam respondentibus eorum cum jodo conjunctiones, decomponi. Hanc corpusculorum sanguinis indolem, magnam eorum cum ozonte affinitatem dico, Voit ad calomelanos in sublimatum commutationem, uti ex pag. scripti 75 jam citata elucet, multum valere arbitratur.

Priusquam sententias a Voit hac de re propositas illustrem, experimenta nonnulla, quae ozonte institui, afferam. Ozon, uti omnes chemici consensu testantur, status oxygenii allotropicus est, atque rerum conditionibus maxime diversis gigni potest. Largam ozontis copiam commodissime phosphori disculis procreare licet, qua quidem ratione ego quoque et quidem hunc in modum usus sum. Tenues phosphori disculos, 25—30 numero, in lagenam immisi, cujus fundus tantum ita obtectus erat aqua destillata, ut haec disculos solum allueret. Per lagenae obturaculum suberinum tubulus vitreus fere ad fundum usque descendebat, tubulo altero, item vitreo, solummodo obturaculum suberinum perforante. Hujus tubuli secundi fines ambo, angulis rectis, incurvati erant, ita ut finis secundus per lagenae alterius, ex prioris comparatione multo minoris, obturaculum in fluidum

immergeretur, quod, solutione kali admodum diluta consistens, in hac lagena inerat. Tubulo vitreo tertio, secundi, de quo modo diximus, omnino simili, haec lagena altera cum tertia conjuncta erat, in qua substantiae ad ozontis effectum exponendae inerant.

Denique haec lagena tertia ope tubuli vitrei, cujus finis alter angulo recto inflexus erat, cum aspiratore juncta fuit. Obturacula suberina, ut continua lagenae primae cum aspiratore conjunctio esset, summa cum cura et diligentia elaborata erant. Solutio kalina, quae lagenae secundae inerat, id spectabat, ut vapores phosphori, si qui efformarentur, cum kali conjunctionem inirent. Aspirator aqua impletus est, quae tantum guttatim effluere debuit, ut continuus aëris fluxus e lagena prima per duas reliquas in aspiratorem fieret. Quo modo ozon, in lagena prima phosphoro procreatum, per duas apparatus dicti lagenas ducebatur, atque vim suam ad substantias in usum vocatas exhibere poterat. Hoc loco admonendum esse judico, me quotidie compluries, kali iodati amylo, quae substantia reagens et commoda et certa est, usum, de ozontis praesentia mihi persuasisse, atque me coactum fuisse, ut tubulos, e gummi elastico factos, quibus tubuli vitrei et inter se et cum aspiratore conjuncti erant, saepius renovarem, quoniam illi ozonte corrodebantur, quae quidem ozontis ad gummi elasticum efficacia etiam ab aliis cognita est observatoribus. Equidem hoc posterius tantum eam ob causam attuli, ne mihi crimini verti possit, me substantias respondententes non ozontis effectui exposuisse.

**EXPERIMENTUM I.** Calomelanos praecipitati gr. V. in tertiam apparatus lagenam, ex parte dimidia aqua impletam, immissa sunt, quae, num quid sublimati continerent, antea ammonio sulfurato adhibito, explorata fuerant, nulla tamen, ne minima quidem, reactione observata. Quod calomelas quum per horas 48, intervallis brevioribus interjectis, ad fluxus aëris ozon continentis effectum expositum esset, hoc tempore exacto, fluidum e lagena emissum atque per filtrum trajectum est, et calomel relictum aqua destillata rite ablutum. Attamen, ammonio sulfurato adjecto, nullum deprehendi potuit reactionis vestigium.

**EXPERIMENTUM II.** Item calomelanos meri gr. V. cum solutionis natrii chlorati concentratae grmm. 31 mixta, in eandem apparatus lagenam immissa, per horas 98 ozontis effectui exposita sunt, brevibus tantum intervallis intermissis, partim ut tubuli e gummi elastico facti ozonte corrupti renovarentur, partim ut aspirator denuo impleretur. Eodem tempore altera natrii chlorati soluti et calomelanos mixtio in lagenam alteram immissa erat, quae, ut modum haberemus, quo mutationem aëre ozon continente in calomelane effectam metiremur, ozontis effectui submissa non est. Postquam, ozontis vi per tempus tam longum continnata, quod utrique lagenae inerat, ratione supra commemorata, num quid sublimati contineret, examinatum est, reactio admodum exigua fuit, et quidem in utriusque lagenae contento aequa.

**EXPERIMENTUM III.** Mixtionii natri chlorati soluti et calomelanos, qualem in experimento superiore adhibitam esse diximus, ovi gallinacei albumen, antea cum aqua diligenter mixtum indeque per filtrum transmissum, addidimus. Haec mixtio sic parata, in eandem apparatus lagenam inmissa, rursus per horas 98 ozontis effectui subjecta est. Eodem tempore lagena altera contento omnino simili seposita neque tamen ozontis effectui submissa est. Horis 98 circumactis, utriusque lagenae contentum, ut jam memoravimus, num quid hydrargyri soluti inesset, examinatum est, qua in re reactio quidem manifesta fuit, attamen fluidum in utraque lagena contentum prorsus eandem obtulit.

**EXPERIMENTUM IV.** Periculum modo descriptum quum, rerum conditionibus iisdem, iteratum esset, eventus quoque idem fuit. Ex his periculis, a nobis factis, certo concludere posse videmur, ozon neque ad calomelas merum, neque ad calomelanos cum natrio chlorato soluto mixtionem, neque ad mixtionem, qualem in experimento tertio adhibitam esse retulimus, quidquam effectus exhibere, quia lagenae illae, quae ad ozontis effectum expositae non erant, quamquam diligenter cautum erat, ne fortius moverentur, tamen eventum eundem praebuerunt. Cautela haec eam ob causam adhibita est, quod Voit calomelas cum natrii chlorati solutione conquassando ozon effici arbitratur, qua de re jure ac merito fortasse objicias, in experimentis II et III reactionem in utraque lagena ozontis vi provocatam esse, nimirum in altera aëris fluxu ozon conti-

nente, in altera ozonte calomelanos conquassatione effecto. Ceterum, ut ozon gignatur, calomel et fortius et diutius cum natrii chlorati solutione conquassandum esse, Voit contendit, quum ego tamen vel minimam lagenarum conquassationem evitare studuerim.

Quod quum ita sit, conclusionem ex his experimentis deductam pro vera habendam esse judicamus, nempe ozontis ad calomelas nullam vim et effectum esse.

Quamquam vero, experimentis nostris innixi, ozontis ad calomelas effectum negamus, tamen conclusiones, quas Voit ex hoc effectu, quem pro certo habet, effecit, pluribus exponere liceat. Voit, postquam de ozontis vi ad sublimatum in calomelanos solutique natrii chlorati mixtione formandum, qualis extra organismum exstat, disseruit, pag. 70 hunc in modum pergit: „Es sind ganz die nämlichen Bedingungen auch im Körper gegeben; wir haben, wenn wir regulinisches Quecksilber oder Calomel reichen, eine Ozonbildung, das Ozon wird durch die Blutkörperchen aufgenommen und dem Chlornatrium abgegeben.“

Fac ejus doctrinam de vi ozontis ad sublimatum ex calomelane formandum veram esse, tamen intelligi nequit, quomodo hanc doctrinam ad organismum referat. Namque, ut supra jam dixi, sublimati copiam, quae natrio in calomelanos solutique natrii chlorati mixtione ozontis vi oxydato formetur, minorem esse ait, quam quae intra organismum vim salutiferam exhibeat. Quam ab rem sanguinis corpusculis ozon formatum se conjungere arbitratur, eorumque effectu hujus vim majorem reddi statuit.

Ponamus, omnia ita se habere, ut Voit existimet, veruntamen perspicere nequit, quo modo, calomelane in tractu intestinali praesente, sanguinis corpuscula ulla partes agant. Namque sine sanguinis corpusculis, ut vir doctus ait, effectus iste fieri nequit. Hoc in casu enim primo statui possit, sanguinis corpuscula ozon ad natrium chloratum transferre, eoque chlori copiam, quae inest, liberare, atque hanc directam cum calomelane conjunctionem inire. Tum autem calomelas jam in sanguine inesse necesse foret, atque supervacaneum esset, materiam aliam, qua calomelas in conjunctionem solubilem redigeretur, quaeri. Quum vero Voit ipse dicat, calomelas, ut in sanguinem transferri possit, solvi necesse esse, ea, quae modo disseruimus, in animo habuisse non videtur. Porro putare liceat, natrii chlorati, quod sanguini inest, chlorum liberatum (neque enim intelligitur, quidni ozon corpusculis sanguinis junctum pariter ad natrium chloratum sanguinis, quam contentorum tractus intestinalis, agat) diffusionem per vasorum parietes actum per intestinorum membranam mucosam penetrare, ut ad calomelas, quod in tractu intestinali insit, accedat. Hoc nimirum Voit non arbitratus est, quum ejusmodi chlori liberi diffusio per corporis vivi membranas vix statui queat.

Denique tertia superest explicatio, quae ipsis viri docti verbis inesse credatur. Namque sic ait: „Wir haben, wenn wir regulinisches Quecksilber oder Calomel reichen, eine Ozonbildung, das Ozon wird durch die Blutkörperchen aufgenommen und dem Chlornatrium

übergeben.“ Quibus verbis haec subest sententia, ozon calomelane primum formari, deinde corpusculis sanguinis recipi ac denique natrio chlorato tradi. Tum vero ozon, ut ad corpuscula sanguinis perveniret, membranas dictas penetrare, ac deinde chlorum liberum, ut ad hydrargyrum perferretur, membranas allatas permeare necesse foret, id quod ob causas supra propositas Voit vix censere credatur.

Itaque optimo jure existimare posse videmur, etiamsi doctrina a Voit de ozontis ad calomelanos effectum prolata vera sit, id quod experimenta a me instituta non probant, tamen eam ob causas supra propositas vix ad organismum referri posse, quia tantum, sanguinis corpusculis praesentibus, ut ipse Voit docet, ozontis ad natrium chloratum effectum, recepto calomelane, satis sublimati formatur, quod vim medicatricem in organismo exhibeat.

Ergo nihil superest aliud, nisi ut aliorum quorundam scrutatorum exemplum secuti albumen pro unica substantia habeamus, quae ad calomel in conjunctionem solubilem redigendum valeat. Quod ad cetera hydrargyri praeparata spectat, certe nonnullorum ex iis, uti praecipitati rubri et albi, mercurii iodati et bijodati, mercurii solubilis Hahnemanni, ad albumen rationem perquisivi. Quae praeparata omnia albumine solvi apparuit; attamen salium oxydatorum quantitas, quae certo temporis spatio solvitur, major est, quam salium oxydulorum, qui disquisitionum nostrarum eventus cum iis, quae a prioribus comperta sunt observatoribus,

omnino congruunt. Quanam conjunctione hydrargyrum in albumine solutum reperiretur, nos ipsi ob temporis exiguitatem neque indagare potuimus neque voluimus, quoniam investigationes hac de re a viris in arte versatis institutae exstant. Quum alii hydrargyrum in albumine solutum pro mercurio chlorato, alii pro bichlorato putarent, hodie sententia a Mulder, Rose aliisque proposita, qui viri hydrargyri cum albumine conjunctionem, oxydi formam referentem, statuunt, ab omnibus recepta est. Ejusmodi hydrargyri cum albumine connubia in succo gastrico solubilia esse, Bielicki<sup>1)</sup> in dissertatione sua inaugurali demonstravit. Itaque talem conjunctionem in tractu intestinali resorberi posse, non est, quod negemus, quamvis hac in re quaedam propria occurrant; quorum Bielicki in commentatione allata mentionem injecit. Quod hydrargyri oxydati cum albumine connubium quomodo efformetur, hucusque nihil certi statuere licet. Neque enim, ut exemplo utar, si calomelas cum albumine soluto in contactum adducatur, solum albuminis natrium chloratum ad calomelas magis oxydandum valet, quum natrii chlorati solutione aequae concentrata, ut supra ostendimus, nullus ad calomelas effectus fiat, neque, quod et ipsum antea demonstravimus, sanguinis corpuscula eam vim habent. Certe explicationes hucusque prolatae minime sufficiunt.

Num autem hydrargyri oxydati conjunctiones, quemadmodum Voit contendit, priusquam cum albumine conjungantur, in sublimatum transeant necesse sit, hucusque

1) Quaedam de metallorum albuminatibus eorumque effectum ad organismum animalium. Dorpati Liv. 1853.

neutiquam evidenter est demonstratum. Cujus rei explorandae ratio nescio an eo consistat, ut albumen prius alcalibus chloratis liberetur, indeque ejus ad hydrargyri oxydati conjunctionem effectus observetur. Hanc rationem tamen equidem inire non potui, quum tempus ad exarandam dissertationem destinatum jam exisset, ratioque albuminis natrio chlorato liberandi perquam operosa sit multumque temporis expostulet.

Voit, postquam pag. 100 de ultimo omnium hydrargyri conjunctionum producto, quod quidem sublimato consistere arbitratur, verba fecit, hunc in modum pergit:

„Ich habe so drei grosse Reihen aufgestellt, von denen jede ihren Hauptrepräsentanten hat, der die übrigen eingereihten Verbindungen alle zu ersetzen im Stande ist, und es wäre gut, wenn man sich entschliessen wollte, nur diese Repräsentanten therapeutisch zu benutzen; mit jeder Reihe lassen sich bei gleicher Dosis verschiedene Erfolge erzielen, d. h. jede Reihe liefert in der nämlichen Zeit andere Mengen von wirksamer Substanz in das Blut.“

„Die erste Reihe macht das regulinische Quecksilber aus, es braucht am längsten, um eine gewisse Quantität Sublimat zu liefern; seine Wirkung wird die langsamste sein und es wird desswegen sicher die sogenannte constitutionelle Wirkung des Quecksilbers hervorrufen.“

Ordinis secundi principem calomelas, tertii denique sublimatum ponit.

Equidem verba a Voit prolata idcirco afferenda judicavi, quod enunciatum illud „die erste Reihe macht

das regul. Quecksilber aus etc.“ ita conformatum est, ut, quae auctor dixit, nullo modo eadem esse possint, quae dicere voluit.

Etenim observationibus clinicis satis compertum est, unguento cinereo inuncto, et perfacile et celerrime hydrargyri efficaciam universalem, quae vocatur, succedere, quum ejusmodi inunctionibus citius, quam ceterorum hydrargyri praeparatorum usu, salivatio efficiatur. Ac nihilominus Voit verbis citatis hydrargyri regulini effectum tardissimum esse affirmat.

Qua in re si de hydrargyro regulino unguentoque cinereo promiscue loquor, sententiam a Voit prolatam sequor, quippe qui pag. 86 dicat, se, ubi de hydrargyro regulino mentionem faciat, unguentum cinereum ejusque usum dicere.

Quid vero sit, quod unguentum cinereum propterea dicatur universalem hydrargyri effectum producere, quia ad certam quandam sublimati copiam conformandam plurimo ei opus sit tempore, haudquaquam perspicui potest, quoniam, ipso Voit auctore, sublimatum efficax omnium hydrargyri praeparatorum substantia est, ideoque hinc ea effici potest conclusio, ea potissimum praeparata, quae celerrime in sublimatum permutentur, et certissime et saltem maturrime hydrargyri efficaciam universalem provocare.

Restat tantum, ut admoneam, Voit, quod ad sententiam a Baerensprung de modo rationeque, qua unguentum cinereum agat, propositam attineat, in errore versari, pag. 90 haec verba dicentem: „Donavan's Meinung ging dahin, dass sich das Oxydul mit

den freien Fettsäuren der Salbe verbinde, welche Meinung v. Baerensprung bekämpft.“

Namque ipsa auctoris modo dicti verba talia sunt: „Dieses Oxydul ist aber nur zum kleinen Theile frei in der Salbe enthalten, zum grössern Theile an eine Fettsäure gebunden.“

Denique nonnulla de capite scripti Voigtiani septimo, quod ita inscribitur: „Weiteres Verhalten des Sublimats im Blut und Schlussbemerkungen“ adjicere velim.

Ab ipso hujusce capituli initio Voigt pag. 101 his verbis utitur: „Sehen wir nun zuletzt zu, nachdem wir constatirt haben, dass aus allen Quecksilberpräparaten sich Sublimat bildet und dass *dieser in's Blut übergeht*, wie er sich daselbst weiterhin verhalten muss.“

Etiam si Voigt sibi demonstravisse videtur, necesse esse, ex omnibus hydrargyri praeparatis sublimatum efformari, tamen nullo commentationis ejus loco quidquam reperi, quo probaverit sublimatum inde formatum, non mutata forma, in sanguinem transire. E contrario hoc parum vero simile esse existimamus; namque, si respexerimus, albuminis solutione cum sublimato soluto in contactum adducta, hydrargyri cum albumine conjunctionem effici, in qua hydrargyrum oxydi forma, neque fero sublimati specie insit, id quod ipse Voigt pagina subsequenti testatur, atque antea jam Rose, Elsner alique contenderunt, intelligi non potest, quid sit, quod non et hoc oxydi cum albumine connubium in tractu intestinali efficiatur, quum ibi satis adsit albuminis, quod saltem cum medicinalibus sublimati dosibus

junctum hydrargyri oxydati cum albumine connubium efficiat. Atque, quum hoc albuminis cum oxydo connubium in abundante albuminis natriique chlorati copia solvatur, etiam, ne istud hydrargyri oxydati cum albumine connubium in sanguinem recipiatur, nihil obstat, id quod insuper etiam experimento endosmotico a Baerensprung instituto confirmatur, in quo observator ille dilutam albuminis solutionem frustulo ventriculi hominis a solutione connubii hydrargyri oxydati cum albumine, quae parva natrii chlorati soluti quantitate effecta fuerat, disjunxit, atque in hac diluta albuminis solutione per longius temporis spatium hydrargyrum plane reperire potuit. Verumtamen libenti animo concedam, ejusmodi experimenta endosmotica nisi summa cum cautione ad processum, qui intra corpus fiant, transferenda esse. Porro pericula a Bielicki in canibus facta, quibus fistula stomachalis applicata fuerat, directo coarguerunt, hydrargyri cum albumine conjunctiones, quae resorbentur, idoneas esse.

Ceterum Buchheim quoque in suo de materia medica opere eam sententiam statuit, ut hydrargyri praeparata imprimis forma eadem, quam in organis, quibus applicata fuerint, induisse videamus, in sanguine quarendam esse dicat.

Quibus rebus demonstravisse videor, Voit, viro clarissimo, jus non suppetere statuendi, sublimatum forma hac in sanguinem transire.

Voit commentationi suae hisce verbis finem imponit: „Mit diesen Thatsachen wäre der Anfang gemacht, die Metamorphose eines Arzneimittels im Or-

ganismus zu verfolgen und seinen Nutzen auf eine bestimmte Wirkung zurückzuführen; ich habe es gewagt, den Grund, warum man seit Jahrhunderten blindlings und auf Erfahrungen hin dasselbe unzählige Male angewendet, aufzuklären. Erst wenn dies für alle Mittel der *materia medica* geschehn, wird von einer rationellen Anwendung derselben und einer Therapie als Naturwissenschaft gesprochen werden können.“

Jam contemplemur, quo jure Voit hoc dictum auditu speciosum protulerit, quod, si verum esset, ejus meritis in sempiternum insignem in materia medica locum assignaret. Voit hydrargyri in organismo effectus explicaturus conjecturis utitur, quae, quod dolendum est magnopere, perparum ad veritatis speciem accedunt. Dicit enim: „Es giebt eine Reihe von Krankheiten, die wir septische nennen und die die grösste Aehnlichkeit mit Gährungserscheinungen haben.“

Quibus morbis etiam syphilidem adnumerat, hujus affectionis naturam eo consistere ratus, quod virus syphiliticum ulceris syphilitici primarii resorptum in sanguinem perveniat, ibique fermenti instar ad sanguinis partes albuminaceas agat. Quae partes albuminaceae quominus decomponentur, impedimento esse sublimatum, quippe quod et cum partibus albuminaceis normalibus et cum iis, quae in eo sint, ut decomponentur, conjunctione inita dilapsionem ulteriorem praecaveat.

Quae res licet auditu speciosa sit, tamen nequaquam tam simplex est, quam Voit eam proponit.

Contra ea adversus talem rei contemplationem plurima idoneis argumentis innixa opposita sunt. Quod

autem ad sententiam de syphilide spectat, cui Voit addictus est, illa quidem nullo modo ab omnibus recepta pro vera habetur.

Virchow in archivi sui volumine XIV. fasciculo 3 pag. 231 quaestionem objicit, quo modo marasmus syphiliticus exoriatur. Ricord eum imprimis sanguine effici judicat, cujus mixtio viri syphilitici effectu commutetur. Quorum prius Virchow fortasse verum esse credit, posterius vero florenti saepius statu aegrotorum faucium ulceribus, exanthematibus, quin etiam levioribus ossium affectionibus laborantium directo redargui videri ait. — Viri in sanguinis circuitum receptio si directa commutationis sanguinis causa fuerit, necesse esse putat, eam etiam in omnibus aegrotis syphilide universali affectis reperiri. Hactenus, quae Virchow de syphilidis processu sentit.

Porro Baerensprung in annalibus de nosocomio Charitatis syphilidem censet non solam sanguinis intoxicationem, sed processum dyscrasicum, i. e. totius constitutionis corporis morbum, esse, qui nisi sensim et paulatim naturali materiarum vicissitudine vinci ac superari non queat.

Voit quidem hujus de syphilidis natura theoriae, quam viri docti, quos attuli, in scriptis suis huc pertinentibus pluribus argumentis fulciunt atque confirmant, rationem non duxit, quoniam ei tum difficilior foret, hydrargyri in syphilide utilitatem ad certam quandam vim et efficacitatem revocare.

At, etiamsi ponamus, Voit veram de syphilidis natura hypothesin promulgavisse, tamen ei non licuit,

in conjectura sua de modo, quo hydrargyrum agat, statuenda omnia, quae de hydrargyri in aegrotantibus effectu experientia usuque comperta sunt, prorsus negligendi. — Verum negligit, quae experientia nos docuit. Etenim, conjecturam ejus si amplius persequamur, hydrargyri usus quam largissimus syphilidi optime mederi credendus fuerit, quae opinio tamen medici incorrupto judicio ducti observationes non vincet.

Voit, ut hydrargyri in syphilide effectum quam planissime ob oculos ponat, hac similitudine utitur: „Es geht hier dann wie beim Bleichen der Leinwand, wir haben Leinwand mit wenig Farbestoff, der wenige Farbestoff ist viel eher zerstört als die grössere Menge Leinwand, und wir behalten weisse Leinwand zurück; von letzterer musste aber auch ein Theil mitgehen, um sie weiss zu erhalten.“

Verumtamen haec similitudo non convenit, quoniam ad lintea insolanda iis solummodo substantiis utimur, quae praecipue ad linteorum pigmentum valeant, pigmentumque substantia est a linteis omnino diversa, hoc in casu autem de unius ejusdemque modi corporibus, nimirum de albuminis in sanguine contenti partibus, agitur. Voit ipse vero neququam hydrargyro facultatem tribuit, normales albuminis partes excludendi, sed potius concedit, tum has tum partes, quae jam in eo sint, ut putrescant, se cum hydrargyro conjugere.

Denique observationes, quas unus ex summis nostrae aetatis syphilidologis, ab Baerensprung, de hydrargyri in syphilide vi et effectu instituit, afferre liceat, quas Voit quidem sibi non respiciendas esse

censuit, quoniam ei vix contingat, ut eas cum sua hypothesis in concordiam redigat, atque tum sibi meritum vindicare nequiret, quod causam attulisset, qua fieret, ut hydrargyrum in syphilide auxilium praeberet. Ait autem Baerensprung l. l. pag. 173 observationem illam, qua affectiones syphiliticae hydrargyri usu evanescere cernantur, quum aetate priore tum nostro tempore multos medicos perpulisse, ut hydrargyrum pro remedio specifico syphilidis, i. e. pro remedio tali, quod morbum, quacunque forma ingruisset, sanaret atque tolleret, putarent. Credidisse illos, virus syphiliticum sanguine receptum atque cum sanguine circulans hydrargyro et ipso in sanguinem transgresso destrui. Quae opinio tamen si vera foret, syphilidis sanationem perfacilem esse atque eo certius contingere necesse fore, quo plus hydrargyri in corpus invectum esset. Ac re vera plerasque curandi methodos id spectare, ut corpus hydrargyro quasi saturetur, quem quidem statum alii hydrargyri usu quam diutissime continuato, alii ejus dosibus quam maximis efficere conentur. Sed observationes quotidianas satis superque docere, hanc agendi rationem successu exoptato non esse. Idem pag. 174, si hydrargyro cum syphilide eadem, quae antidoto cum veneno, ratio intercederet, si illud processum morbosum aequae neutralem reddere posset, atque alcali acidum neutrale efficiat, tum consentaneum esse ait, successum dosis in usum vocatae magnitudini respondere. Hoc tamen non ita se habere, semet ipsum, diversissimis hydrargyri praeparatis in experimentis usum, cognovisse, atque vidisse, non medicamen, sed commutationem in

corpore eo provocatam, non mercurium sed mercurialismum effectum exhibere, atque hunc mercurialismum in aliis hominibus, certis rerum conditionibus, celerius faciliusque, quam in aliis, effici. Exstare igitur talem corporis statum, qui syphilidi eatenus adversetur, quod, illo evoluto, semper syphilidis symptomata evanescent.

Denique idem auctor pag. 176 falsam censet opinionem esse, qua virus syphiliticum in sanguinem delatum hydrargyro destrui ac neutrale reddi putetur. Omnino mercurium morbo non mederi, sed mercurialismum eo productum efficere, ut morbi symptomata conspicua cessent. Syphilidem eo usque latere, quoad mercurii effectus durent, posteaque forma eo infaustiore recurrere, quo magis interim corporis constitutio confecta fuerit.

---

## T H E S E S .

1. Bilis non, uti physiologi contendunt, vi antiseptica instructa est.
  2. Syphilis universalis non est sanguinis intoxicatio.
  3. Syphilis hydrargyro sanari non potest.
  4. Ferrum non est remedium roborans.
  5. Remedia laxantia nisi localem vim non exhibent.
  6. Gravissimum medici ad aegroti lectum munus hoc est, ut diagnosin rite statuatur.
  7. Vinum corrigere est vinum depravare.
-